AD

SOLLEMNIA

CAESAREAE

UNIVERSITATIS DORPATENSIS

QUAE

QUO DIE HAEC ACADEMIA OLIM CONDITA EST

DIE XII MENSIS DECEMBRIS ANNI MDCCCLXXIII

HORA XII IN AULA MAGNA

ORATIONE

GUILELMI VOLCKII

P. P. O.

ET RENUNTIATIONE

VICTORUM IN ERUDITIONIS CERTAMINIBUS PRAEMIA ADEPTORUM

PUBLICE AGENTUR

RITE CONCELEBRANDA

DOCTORES OMNIUM ORDINUM AMPLISSIMOS ET COMMILITONES HUMANISSIMOS
ET QUICUMQUE REBUS NOSTRIS LITTERARUMQUE STUDIIS BENE VOLUNT

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAMUS

RECTOR ET SENATUS.



SUBIECTA EST EUGENII PETERSENII DE VITA THUCYDIDIS DISPUTATIO.



DORPATI LIVONORUM

C. MATTIESEN TYPIS DESCRIPSIT.

De vita Thucydidis quamvis omnes fere viri docti, et qui totam quaestionem absolvere conati sunt et qui eam in transcursu tantum adtigerunt, parum certi constare consentiant, tamen de singularum rerum fide tantum non omnium dissentiunt. Nam vel ea quae nullo vel parvo dissensu tradita sunt accipiunt alii ut vera, alii ut falsa repudiant, sicut Herodoti cuidam recitationi Thucydidem interfuisse puerum cum negent Heilmannus [1], Poppo [2], Haackius [3], Goellerus [4], Classenius [5], vel ita potius ut credi possit traditum esse negent, Kruegerus [6] pro veris habenda contendit. Minus etiam ibi certare eos mireris, ubi certarunt iam veteres. Ita exulem Olori filium alii in Thracia, alii in Peloponneso nec non in Italia versatum esse arbitrantur, alii alia veterum testimonia sequentes. Similiter quando natus sit ambigunt. Pamphilae enim quod apud Gellium noct. att. l. 15 c. 13 exstat testimonium secuti Heilmannus l. l. p. LIII, Poppo l. l. p. 21 Grauertus [7], Wuttkius [8], O. Muellerus [9], Goellerus l. l. p. 11, Classenius l. l. p. 14 Thucydidem anno 471 natum sibi persuaserunt; Kruegerus l. l. p. 6 seqq. et cum eo Ullrichius [10], Schoellius [11], Boehmius [12] post habentes Pamphilam Marcellino viginti fere post annis natum existimant, dum Roschero [13] et Blassio [14] neutrum testimonium a fide satis munitum videtur. De morte autem, qua nullam aliam quaestionem magis controversam apud veteres fuisse constat, mirum quantum consentiunt recentiores, cum

---

1) Leben und schriftstellerischer Charakter des Thukydides in primo vol. versionis germanicae, p. LI (1760).
2) Editionis maioris vol. I part. I (anni 1821) p. 25.
3) Editionis minoris Haackianae (anni 1831) p. 7.
4) Editionis secundae (anni 1846) vol. I p. 43.
5) In praefatione editionis Weidmannianae (anni 1873) p. XVIII.
6) Leben des Thukydides 1832. Kritische Analekten I inde a. cap. 3.
7) De vita Marcellini in Niebuhrii musei rhenani vol. I (a. 1827).
8) De Thucydide scriptore belli Peloponnesiaci, (Vratisl. 1838) p. 32.
9) Griechische Litteraturgeschichte (ed. 2 anni 1841) II p. 340.
10) Editionis Teubnerianae (Lipsiae 1862) p. IX.
11) Zur Erklärung des Thukydides II (Hamburg 1846) p. 65.
12) Philologus IX p. 211.
13) Leben, Werk und Zeitalter des Thukydides (Göttingen 1842) p. 88.
14) Die attische Beredsamkeit von Gorgias bis zu Lysias Leipzig 1868 p. 196.

nemo fere praeter unum Ritterum [15]), qui quidem nihil non fictum esse putat, quin interfectus sit Thucydides, dubitaverit.

Atque haud scio an non potuerint non ita viri docti dissentire, quoniam non quid omnino de Thucydide veteres illi testes conpertum habuerint et habere potuerint examinaverunt, sed unamquamque quaestionem, veluti de anno natali, de praeceptoribus, de morte, per se solvendas esse iudicaverunt. Ita quidem ultra dubitationem vix progredi licet, quemadmodum Blassius l. l. neque Pamphilam neque Marcellinum in constituenda scriptoris aetate testimoniis potius quam coniecturis niti ratus argumentis tamen refutari posse Pamphilam negat. Recte, nisi quis omnibus quae de vita Thucydidis tradita accepimus conlatis, quibus ex fontibus ea fluxerint, antea demonstraverit, atque eosdem fontes etiamnunc nobis ad hauriendum patere, eandemque nobis quam veteribus coniectandi materiem suppeditare docuerit, quod iam demonstrare mihi in animo est.

Exstant igitur 'vitae Thucydideae' conplures, amplissima Marcellini, ignoti ceteroquin incertae aetatis scriptoris, nisi ab eo forte Marcellino, cuius cum Sopatri Syrianique coniunctos commentarios Walzius in rhetorum graecorum volumine quarto edidit, non diversum illum fuisse propter communia rhetoricae studia cum J. A. Fabricio in bibl. gr. II p. 721[a] conicias, aut minus etiam probabiles aliorum coniecturas sequaris. Aliquanto brevior est altera 'vita', *Θουκυδίδου βίος*, nullo auctoris nomine cum Marcellini opusculo iam ab antiquissimis editionibus propagata. Tertiam secunda breviorem habes apud Suidam, quartam trium versiculorum Eudociae violarium praebet.

Sed et ipsam Marcellini 'vitam' non unam, sed ex duabus tribusve partibus conflatam esse, dudum perspectum est a Poppone, Grauerto, aliis. Jam vero quaerendum est, primum partes illae, quae commune Marcellini nomen praescriptum ferunt, utrum ex eodem an ex diversis fontibus proveniant, deinde quali cum reliquis illis 'vitis' propinquitatis vinculo coniunctae sint. Atque tres illae Marcellini partes cum eo potissimum separentur, quod non semel, sicut in prooemio erat promissum, a vita enarranda ad scribendi genus recensendum fit transitus, sed tribus locis de vita (c. 1—34, 45—47, 54—55), tribus item (c. 35—44, 48—53, 56—58) de opere Thucydidis agitur, non de prioribus tantum trium partium dimidiis exponere sufficit, sed altera quoque perstringere iuvat, ut vel inde adpareat, non ita illas partes discrepare, uti visum est aliis.

Primam quidem partem si Didymi tantum verba repetere atque pro Didymi opusculo habendam esse cum Rittero censeas, eo quod in altera parte Dionysii Halicarnassensis de Thucydide iudicium inpugnatur, hanc illa posteriorem et

---

[15]) Didymi Chalcenteri opuscula edidit F. Ritterus Coloniae 1845 p. 25.

diversi auctoris esse putabis. Sed ut illa de Didymi opusculo prolata sententia argumentis nititur futilissimis, ita quae de dicendi genere in ea Marcellini parte exposita sunt, non grammaticum, qualis Didymus cum alias, tum saepius ad explicandos oratores graecos in 'Didymi Chalcenteri fragmentis' collectis a M. Schmidtio p. 310, 312, 314, 315 citatur, sed rhetoricae doctorem sapiunt; et Dionysii eiusdem Halicarnassensis quae de Thucydide potissimum conscripsit opuscula non carpuntur solum tecte sed pluribus etiam locis repetuntur etiam in prima illa Marcellini parte. Carpi Dionysium dico verbis Marc. c. 41 *περὶ δὲ πάσης τῆς συγγραφῆς ἐτόλμησάν τινες ἀποφήνασθαι ὅτι αὐτὸ τὸ εἶδος τῆς συγγραφῆς οὐκ ἔστι ῥητορικῆς ἀλλὰ ποιητικῆς*. Dionysius enim in epistula ad Pompeium p. 777 ed. Reisk. dixerat haec *ἵνα δὲ συνελὼν εἴπω, καλαὶ μὲν αἱ ποιήσεις ἀμφότεραι· οὐ γὰρ ἂν αἰσχυνθείην ποιήσεις αὐτὰς* (Herodoti scilicet Thucydidisque historias) *λέγων* (cf. Dionysii art. rhet. p. 392). Quamquam non fugit me, esse aliquod inter utrumque locum discrimen, et a Demetrio quoque Phalereo, ut monuit Kruegerus ad Dionysii locum, de elocut. 215 Ctesiam adpellatum fuisse poetam. Neque tamen ita multo distant ab eis quae in secunda Marcellini parte c. 53 Dionysius inmerito Thucydidi vitio vertisse dicitur *μέμφεται γὰρ αὐτῷ ὡς πεζῇ καὶ πολιτικῇ λέξει χρῆσθαι μὴ δυναμένῳ, οὐκ εἰδώς* cet. quae ad Dionysii epistulam ad Ammaeum II p. 790 videntur referenda esse, ubi Thucydides dicitur *ἴδιόν τι γένος χαρακτῆρος οὔτε πεζὸν αὐτοτελῶς οὔτ' ἔμμετρον ἀπηρτισμένως, κοινὸν δέ τι καὶ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν ἐργασάμενος εἰς τὴν ἱστορικὴν πραγματείαν ἐσπούδασεν εἰσαγαγεῖν*, quibuscum praeterea conferendum eiusdem de Thucydide iudicium p. 886 et 839.

Adest quidem alius primae partis locus c. 35, quo hanc ab antiquiore quodam Dionysio rhetore profectam esse conicias. Etenim quos ille in iud. de Thuc. p. 939 seq. (cf. Cic. orat. c. 9, 30 et Blass, Die Griechische Beredsamkeit von Alexander bis auf Augustus p. 100 et 131) non ignobiles quosdam artis oratoriae doctores esse dicit, qui obscurum Thucydidis et a communi sermone remotum genus dicendi ita defenderent, ut non volgaribus illum hominibus sed elegantioribus tantum ingeniis scripsisse contenderent, cum his noster aperte facit c. 35 *ἀσαφῶς δὲ λέγων ἐπίτηδες, ἵνα μὴ πᾶσιν εἴη βατὸς μηδὲ εὐτελὴς φαίνηται παντὶ τῷ βουλομένῳ νοούμενος εὐχερῶς ἀλλὰ τοῖς λίαν σοφοῖς δοκιμαζόμενος παρὰ τούτοις θαυμάζηται.* Potuit tamen vel haec Marcellinus e Dionysio in suum usum convertere, sicut eodem loco quod de Herodoto Dionysius in ep. ad Pomp. p. 772 dixerat *Ὁμήρου ζηλωτὴς γενόμενος* ipse ad Thucydidem suum adplicavit *ζηλωτὴς δὲ γέγονεν ὁ Θουκυδίδης εἰς μὲν τὴν οἰκονομίαν Ὁμήρου, Πινδάρου δὲ εἰς τὸ μεγαλοφυές* (cf. Dionys. de conp. verb. p. 150 seq.); aut praeter Dionysium censorem Thucydidis eiusdem etiam admiratorem nescio quem sive ipse adhibuit, sive is quem sequitur auctorem. Itaque nescio an ita optime trium de dicendi genere Thucydidis locorum conparatio instituatur, ut cum Dionysio

tripartitus ille Marcellinus, quem brevitatis causa *Ma*, *Mb*, *Mc* litteris signabo, conferatur.

Tria dicendi genera *χαρακτῆρες ὑψηλός, μέσος, ἰσχνός* exstant apud solum *Ma* 39 et 43 ut apud Dionysium de admir. vi dic. in Demosth. p. 207, quo nullus hodie antiquior huius doctrinae auctor exstat teste Volkmanno (Die Rhetorik der Griechen und Römer p. 458), quamquam a Theophrasto vel ab Isocrateis illa propagata esse videtur. Primi generis, ampli scilicet et sublimis, ut Dionysius multis locis et nemo non Graecorum (Volkmann l. l. p. 451**), Thucydidem numerat *Ma* 35 *τὸ μεγαλοφυὲς καὶ ὑψηλὸν τοῦ χαρακτῆρος*, *Mb* 50 *ἔχει δὲ χαρακτῆρα ὑπέρσεμνον καὶ μέγαν*, *Mc* 56 *ἔστι δὲ τὴν ἰδέαν καὶ τὸν χαρακτῆρα μεγαλοπρεπής*. Quae secundo tertioque loco sequuntur non inter se tantum simillima sed cum Dionysio quoque conspirant, quod in tribus columnis iuxtapositis eorum verbis optime adparebit:

Mb 50

τὸ δὲ τῆς συνθέσεως τραχύτητος ὂν μεστὸν καὶ ἐμβριθὲς καὶ ὑπερβατικὸν ἐνίοτε δὲ ἀσαφές· αἱ δὲ βραχύτητες θαυμασταὶ καὶ τῶν λέξεων αἱ νόες πλείονες

51 *πικρὸς ἐν ταῖς αὐστηρότησιν*

53 *μέλει δ' αὐτῷ καὶ ὄγκου τῶν ὀνομάτων καὶ δεινότητος τῶν ἐνθυμημάτων καὶ ὥσπερ φθάσαντες εἴπομεν βραχύτητος συντάξεως· τὰ γὰρ πολλὰ τῶν πραγμάτων καὶ (ὀλίγῃ?) λέξει δείκνυται*, quae paullo obscurius dicta videntur tamen non diversae sententiae atque ea quae supra posuimus.

Mc 56

ἐμβριθὴς τὴν φράσιν, ἀσαφὴς τὴν διάνοιαν διὰ τὸ ὑπερβατοῖς χαίρειν, ὀλίγοις ὀνόμασι πολλὰ πράγματα δηλῶν.

Dionys. de Thuc. iud. p. 869 et 951, ep. ad Amm. II. p. 793

χρώματα τὸ στρυφνὸν καὶ τὸ πικρόν . . . καὶ τὸ αὐστηρὸν καὶ τὸ ἐμβριθές — ὑπερβατά saepius notantur ut de Thuc. iud. 891, 943 et obscuritatis accusatur *βραχύτης* 951.

ἐκδηλότατα δ' αὐτοῦ καὶ χαρακτηρικώτατά ἐστι τό τε πειρᾶσθαι δι' ἐλαχίστων ὀνομάτων πλεῖστα σημαίνειν πράγματα καὶ πολλὰ συντιθέναι νοήματα εἰς ἕν — ὑφ' ὧν ἀσαφὲς γίγνεται τὸ βραχύ. Cf. pag. 869, 943, ep. ad Amm. II. p. 792.

iud. de Thuc. p. 897 *φέρε γὰρ ὥσπερ ἐκ πηγῆς πλουσίας ἄπειρόν τι χρῆμα νοημάτων καὶ ἐνθυμημάτων.* Cf. ep. ad Pomp. p. 777.

Quae cum partim non apud Quintilianum modo sed magis aperte etiam apud Ciceronem inveniantur de oratore l. II, 56, *qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur ita porro verbis est aptus et pressus ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis inlustrentur* (cf. Brut. 66), Dionysium quoque, ut fieri solet, antiquiores auctores sequi adparet.

Quattuor potissimum res locutionis Thucydideae propriae e Dionysii iudicio sunt in iud. de Thuc. p. 869 et ep. ad Amm. II. p. 793 *τὸ ποιητικὸν τῶν ὀνομάτων, τὸ πολυειδὲς τῶν σχημάτων, τὸ τραχὺ τῆς ἁρμονίας, τὸ τάχος τῆς σημασίας*, quorum nullum non apud unum alterumve Marcellinum invenies, primum apud *Ma* 41 *καὶ ποιητικαῖς πολλάκις ἐχρήσατο λέξεσι καὶ μεταφοραῖς τισι*; et *Mb* 52 ubi distinguuntur *τὰ μὲν ἀρχαιότερα . . . τὰ δὲ ποιηταῖς μέλει, τὰ δ' ἴδια*, quae apud Dionysium eodem ordine duobus capitibus conprehensa procedunt in ep. ad Amm. II. p. 793. Secundum *τὸ πολυειδὲς τῶν σχημάτων* iisdem fere verbis repetit *Mb* 51 *πολυειδὴς δὲ ἐν τοῖς σχήμασιν* (quarum figurarum una infra c. 53 proposita *τέθεικε δὲ πολλάκις καὶ πάθη καὶ πράγματα ἀντ' ἀνδρῶν* expressa videtur e iud. de Thuc. p. 868 ubi haec sunt *ὁπόσα τε γίγνεται πράγματα ἀντὶ σωμάτων*) *Mc* 56 ita ut et cum Dionysio et cum *Mb* propinquitatem adgnoscas *καὶ ποικιλώτατος μὲν ἐν τοῖς τῆς λέξεως σχήμασιν*. Quid quod priore loco c. 51 non item altero c. 56 figurarum studium ad imitationem Gorgiae refertur ut apud Dionysium in ep. ad Amm. II. p. 792, iud. de Thuc. p. 869. Neque apud *Ma* 36 deest Gorgias inventor figurarum, quarum conmemorantur ibi *παρισώσεις* et *ἀντιθέσεις τῶν ὀνομάτων*, sed praeter Gorgiam etiam Prodicus ex Antylli auctoritate. Noli autem cum Rittero l. l. p. 30 eo dissentientem putare secundum Marcellinum a primo quod ille 'moderatius de imitatione Gorgiae dixerit' *ἐζήλωσε δὲ ἐπ' ὀλίγον*, nam quod habet secundus c. 51 *τὰ πολλὰ καὶ τῶν Γοργίου μιμούμενος* non plurimum sed plurimas eum Gorgiae figuras imitatum esse significat. Tertium, quod erat *τὸ τραχὺ τῆς ἁρμονίας*, adgnoscitur apud *Mb* 50 *τὸ δὲ τῆς συνθέσεως τραχύτητος ὂν μεστόν*, quartum *τὸ τάχος τῆς σημασίας* brevius expressit *Ma* 36 verbis *καὶ τοῦ τάχους*, cum apud *Mb* 51 ipse Thucydides dicatur *ταχὺς ἐν ταῖς σημασίαις*.

Quamquam ad Dionysium non pertinent, nolo tamen praetermittere quae, cum nimis abrupta posuerit *Mb* 53 *ἔχει δέ τι καὶ τοῦ πανηγυρικοῦ, ἐν οἷς ἐπιταφίους λέγει*, suo loco stant apud *Ma* 42 *τῷ δὲ πανηγυρικῷ (ὑποπίπτει ἡ Θουκυδίδου συγγραφή) διὰ τοῦ ἐπιταφίου*, ubi etiam deliberativi et iudicialis generis exempla Thucydidea citantur.

Aperte Dionysio respondet quod *Mb* 48 legimus Thucydidem noluisse fabellis insertis delectare eoque a solito scriptorum more recessisse. Ille enim persimilia docuit in iud. de Thuc. p. 823.

Superest locus de figuris sensus de quibus in tanta reliquarum rerum simili-

tudine mirum est quantopere dissentiant quae praebet *Mb* 53 *καὶ ποικίλας εἰρωνείας εἰσφέρων καὶ ἐρωτήσεις ποιούμενος* quaeque exstant *Mc* 56 *οὔτε γὰρ εἰρωνείαις οὔτε ἐπιτιμήσεσιν οὔτε ταῖς ἐκ πλαγίου ῥήσεσιν οὔτε ἄλλαις τισὶ πανουργίαις πρὸς τὸν ἀκροατὴν κέχρηται* quamobrem paulo post apud eundem tribuitur Thucydidi *τὸ ἄπλαστον καὶ ἀνηθοποίητον.* Quibus primo quidem obtutu repugnare videtur etiam illud *Mb* 50 *δεινὸς δὲ ἠθογραφῆσαι,* quod pluribus deinde c. 51 exponitur. Verum hic non sicut illis locis de orationibus agitur Thucydideis, quibus Pericles, Cleon, Alcibiades, Themistocles, Nicias suos ipsi mores per artem scriptoris patefaciant, sed, quod quam sit diversum, Dionysius docet in iud. de Thuc. p. 923, in ipsa rerum enarratione Thucydides optime mores descripsisse perhibetur. Atque haec quidem rursus ad Dionysii referri possunt iud. de Thuc. p. 825, ubi idem Atheniensium duces nominantur, nisi quod apud Marcellinum Demosthenis locum occupavit Cleon. Ad illum autem de figuris sensus quod adtinet dissensum, primum animadvertas velim, non omnes easdem figuras esse, quibus altero loco c. 53 usus esse, altero c. 56 abstinuisse Thucydides dicitur, sed solas i r o n i a s utroque loco adpellari, quas non paucas in orationibus Thucydideis inveniri et veteres adgnoscunt interpretes et recentiores; deinde neque illic multus in eis fuisse dicitur, et hic nullus quidem earum usus statuitur, sed aliquem tamen concedi vel inde conligas, quod non propter ignorantiam eis carere dicitur, sed quod a Periclis, Archidami, Niciae, Brasidae, magnorum illorum et ingenuorum virorum natura alienas esse iudicaverit. Quo tacite videtur concedi Cleone eum et Athenagora et Alcibiade non item indignas illas figuras existimasse, quemadmodum Steinbergium quoque (Beiträge zur Würdigung der Thukydideischen Reden in annalibus gymnasii Guilelmici Berolini 1870 p. 22) Marcellini verba intellexisse video.

Tribus igitur Marcellini locis quae de opere Thucydideo exposita inveniuntur certe adeo similia sunt, ut possint ex eodem fonte orta esse, quem non ipsum quidem Dionysium sed rhetorem aliquem Dionysio posteriorem fuisse conicias.

Iam vero ut quae de vita quoque Thucydidis tribus locis praecedunt, non repugnantia esse demonstretur, non nullius momenti videtur, quod unus qui praeter Dionysium (nam Asclepii sive Asclepiadis de librorum numero iudicium *Mc* 58 praetermittere licet) ad locum de dicendi genere inlustrandum auctor adhibetur Antyllus c. 36, Suidae ille, ut Ritterus l. l. p. 13 censet, ex Marcellino nostro notus, praeter Suidam nemini, idem in vita enarranda testis citatur non in prima tantum parte c. 22 sed etiam in tertia c. 55, ut hunc potissimum Marcellino usui fuisse suspiceris, cuius praesertim nomen c. 55 cum singulari quadem vi proferatur *καθά φησιν Ἄντυλλος ἀξιόπιστος ἀνὴρ μαρτυρῆσαι καὶ ἱστορίαν γνῶναι καὶ διδάξαι δεινός* et c. 22 *φησὶν ὁ Ἄντυλλος* adposito articulo, quod praeter hunc uni contigit Hermippo et huic quidem ut opponatur alii c. 18. Atque Kruegerus Krit. Analekten p. 32 si recte,

ut videtur, statuit Caecilium Calactinum Dionysii aequalem primum fuisse qui Antiphontem Thucydidis praeceptorem fingeret, huius quoque vestigiis ingredientem vides Antyllum apud Marcellinum c. 22; quis enim dubitet, quin non interposita tantum *ὅθεν . . . καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομίσθη* sed totus de Anaxagora et Antiphonte praeceptoribus locus ad Antyllum referatur, praesertim qui infra quoque c. 36, ubi de imitatione Gorgiae, Prodici agitur, testis producatur. Quid quod in scholiis quoque saepius adlegatur Antyllus ad libri tertii c. 95, quarti c. 19 et 28. Quamobrem Antyllum illum quem dixi rhetorem Dionysio posteriorem conicias, qui quas Marcellino praebuerit copias eas ipse a Didymo partim, partim a Dionysio petierit. Etenim quae perbrevia *Mc* 55 de sepulcro Thucydidis ad Antyllum referuntur, eadem *Ma* 16 et 32 ex Didymi auctoritate narrantur, et priore quidem loco ita ut Didymum, sicuti Prellero quoque visum ad fragmenta Polemonis p. 39, ex auctoritate Polemonis narrare adpareat. Marcellinum autem ut cum Rittero l. l. p. 1 non commentarium aliquem de vita et opere Thucydidis adisse sed ex scholiis potius nescio quibus sua conpilasse credam, neque ipsa rei verisimilitudo me movet, neque quam e Palatino codice Bekkerus edidit Marcellini inscriptionem *Μαρκελλίνου ἐκ τῶν εἰς Θουκυδίδην σχολίων περὶ τοῦ βίου αὐτοῦ Θουκυδίδου καὶ τῆς τοῦ λόγου ἰδέας*. Ea enim verba ex duabus mihi inscriptionibus conflata esse videntur, quarum altera *Μαρκελλίνου εἰς Θουκυδίδην σχόλια* Marcellini commentarium in Thucydidis historiam indicaret, altera *περὶ τοῦ βίου Θουκυδίδου καὶ τῆς τοῦ λόγου ἰδέας* priorem huius commentarii partem, qualem recentiores quoque interpretationi solent enarrationem praemittere. Et revera nihil hoc opusculum nisi prolusionem esse, si non primis eius verbis, at eis tamen probatur quae infra c. 51 scripta exstant *ὄψει γοῦν παρ' αὐτῷ φρόνημα Περικλέους . . . καὶ ἄλλα μυρία ἃ κατὰ μέρος ἐπιδεῖν πειρασόμεθα.*

Iam vero ut Marcellinum conparare cum Marcellino pergamus, quae inde a c. 45 legimus de expeditione Amphipolitana, de exilio Thucydidis et Cleone exilii auctore, porro historiam in Thracia conpositam esse, sed antequam ad finem perducta esset morte abreptum Thucydidem, ea omnia secundae parti cum prima sunt communia. De opere continuato a Theopompo et Xenophonte proferuntur quae non possunt ignota fuisse ei qui c. 44 variarum opinionum de octavi libri Thucydidei auctore prolatarum facit censuram. Bello superstitem fuisse Thucydidem non exstat nunc apud *Ma*; contra in Thracia ex quorundam opinione mortuum esse habet uterque *Ma* 30 et 32 *Mb* 45, quamquam ipse Marcellinus quam ex diversis amplectatur opinionibus c. 30 seqq. prolatis, infra demum capite 44 significat. Quae praeterea nova praebet *Mb* 46 exilii causa Cleoni Thucydidem obtrectavisse *διὸ καὶ ἀπεχθάνεται τῷ Κλέωνι καὶ ὡς μεμηνότα αὐτὸν εἰσάγει πανταχοῦ* et quae antea breviter tantum ille memoriae causa adumbrasset per exilii otium elaborasse cum arte,

ea iam non pro factis sed pro coniecturis habenda esse nemo non videt. Atque de Cleonis invidia prorsus contraria tradit *Ma* 26 *ἔγραφε δὲ οὐδ' οὕτως μνησικακῶν τοῖς Ἀθηναίοις, ἀλλὰ φιλαλήθης ὢν καὶ τὰ ἤθη μέτριος εἴ γε οὔτε Κλέων παρ' αὐτῷ οὔτε Βρασίδας ὁ τῆς συμφορᾶς αἴτιος ἀπέλαυσε λοιδορίας* diversi auctoris haud dubie, sed quae possint tamen ex eodem fonte hausta esse. Non quod Dionysium quoque de eadem re non multo minus ipsum sibi obloquentem inveniamus, cum in ep. ad Pomp. p. 774 scripserit *ἡ δὲ Θουκυδίδου διάθεσις αὐθέκαστός τις καὶ πικρὰ καὶ τῇ πατρίδι τῆς φυγῆς μνησικακοῦσα* et similiter in iud. de Thuc. p. 920, at in eodem posteriore libro p. 824 adeo illum veritatis diligentem fuisse adfirmet, ut neque addiderit quidquam neque dempserit. Verum de veritate quoque Thucydidis, ut nostris temporibus docti dissentiunt (cf. Tuellmann, Beitrag zur Würdigung Kleons des Atheniensers in annalibus gymnasii Ploenensis a. 1867 p. 7 seqq.) ita olim certatum esse adparet, et videntur etiam quae c. 18 et 22 de invidia in Harmodium Aristogitonemque et de favore erga Antiphontem proferuntur, non ad cognationem tantum Pisistratidarum et Antiphontis disciplinam probandam sed ad illum quoque finem pertinuisse. Puto igitur, sicut de propinquitate Miltiadis et quo loco exul degerit aliisque de rebus, ita de veritate quoque Thucydidis non unam sed diversas doctorum opiniones sive ab Antyllo sive a Marcellino congestas fuisse, quarum aliam alius arriperet epitomatorum.

Tertia quoque Marcellini pars incipit a definienda scriptoris aetate, sed nihil adfertur nisi eiusdem rei mentionem et apud Herodotum et apud Thucydidem inveniri. Plurima repetunt fere partem eorum, quae *Ma* 32 et 16 seq. de morte et sepulcro scriptoris tradita erant. Quamobrem novum quoque additamentum, Herodoti de Thucydide puero vaticinium paucis versiculis continens, non aliunde petitum sed a primo et secundo item Marcellini epitomatore omissum esse arbitror.

Et hoc ipsum et omnino tres Marcellini partes quasi discerpta unius corpusculi membra esse conprobatur eis quae apud Suidam de Thucydide leguntur. Neque enim ex Didymo fortasse eum vel Antyllo sed ex ipso Marcellino, quem auctorem vitae Thucydideae adgnoscit s. v. *ἀπήλαυσε* et *ἀπολαύειν*, hausisse arguunt verba *οὗτος ὁ Θουκυδίδης ἀνὴρ ἦν πολὺς ταῖς τέχναις, κάλλει λόγων καὶ ἀκριβείᾳ πραγμάτων καὶ στρατηγίαις καὶ* (Grauertus correxit *στρατηγικαῖς*) *συμβουλαῖς καὶ πανηγυρικαῖς ὑποθέσεσιν*, quae pariter corrupta exstant sub initium Marcellini atque si quid aliud ipsius huius rhetoris existimanda sunt. Nec non alius error eiusdem rei documento est patens in verbis *ἦν δὲ ἀπὸ μὲν μητρὸς Μιλτιάδου τοῦ στρατηγοῦ τὸ γένος ἕλκων ἀπὸ δὲ πατρὸς Ὀλόρου τοῦ Θρᾳκῶν βασιλέως*, procreatus ille nomine Hegesipylae, quae uni Marcellino, et ipsi puto male sedulo, mater Thucydidis debetur, quaeque Suidae videtur non diversa ab Olori regis filia, uxore Miltiadis habita esse.

Apud Suidam igitur ut parentes Thucydidis et filius Timotheus, Antiphon praeceptor, aetas — vides enim verbis *ἤκμαζε δὲ κατὰ τὴν πζʹ ὀλυμπιάδα* non adcuratius eam definiri quam eis quae Marcellinus prodit c. 20 — ut haec omnia ad primam Marcellini partem referenda sunt, ita ad tertiam quae de Herodoti recitatione Olympica habet quaeque simul et pleniore illum Marcellini editione et ea quae iusto ordine uno loco de vita, uno item de opere scriptoris ageret, usum esse docent. Quamquam ex hac secunda parte perpauca tantum Suidas enotavit neque ea in nostro nunc Marcellino servata, sed quae ad *Mb* 52 proxime accedere senties conparatis maxime quae Dionysius in ep. ad Amm. II p. 791 et 793 variatae orationis exempla e Thucydide congessit.

E Suida Eudociam sua hausisse non opus est demonstrare, ita ut una supersit anonymi quam dicunt vita Thucydidea, quam eo maxime a Marcellino distare dixeris, quod quae apud hunc fusius exposita sunt, illic habes in brevius contracta, contra quae paucis absolvit qui quidem nunc exstat Marcellinus, ampliora praebet anonymus, ut huius quoque opusculum vix possis dubitare quin ex nondum decurtato illo, quem statuimus, Marcellino contractum sit. Quamquam quae c. 3 de pugna Amphipolitana nec non de honoribus defuncto Brasidae ab Amphipolitanis decretis parum ad rem narrantur ex ipsius Thucydidis libro V adiecta esse possunt. Ut autem breviter indicem de quibus cum Marcellino conveniat anonymo, hic quoque Olori filium dicit, genere Thracium, Miltiadis propinquum, ab exilio historiae conscribendae vacasse, sepultum *περὶ Κοιλὴν* (c. 1 et 8) atque diversam de morte famam adgnoscit aut Athenis mortuum esse et sepultum aut in Thracia, ut tamen corpus in patriam referretur. Uterque ampliora quam pro vita Thucydidea profert de Antiphontis morte (*Ma* 22 et anon. 2), uterque exulem Thucydidem Aeginam facit cedentem ibique fenerantem, quae cum vel ita breviter ut sunt apud Marcellinum indicata omni careant verisimilitudine, tum quo apud anonymum conparent conexu cum Pyrilampis causa consociata aperti erroris coarguuntur, et ad Thucydidem Melesiae potius filium pertinere dudum inter doctos constat. Quin etiam Timaeus si propterea reprehenditur a Marcellino vel Didymo, quod in Italia Thucydidem habitasse c. 25 atque sepultum c. 33 tradiderit, sicut anonymus quoque Thurios migrantem facit, Olori filium pro Melesiae male positum esse sive a Timaeo sive a vitae Thucydideae scriptoribus probabiliter coniecit Hoffmannus De Thucydide Melesiae filio Atheniensi, Hamburgi a. 1871 p. 36 et 40. Quae praeterea apud utrumque inveniuntur, morbo mortuum esse Thucydidem *Ma* 44 = anon. 5, octavum historiae Thucydideae librum falso a quibusdam Thucydidi abiudicari *Ma* 43 = anon. 8, continuatum opus a Theopompo et Xenophonte *Ma* 43 seqq. = anon. 5 = Diodor. 13, 42, non possunt ea non ab eodem auctore profecta esse. Censurae denique Dionysianae, cuius apud Marcellinum vestigia apertissima deprehendere nobis videbamur, hic quoque admo-

nemur, ubi de malignitate Thucydidis exponitur, inde a c. 4 *καὶ διὰ τοῦτο δοκεῖ πολλὰ χαρίζεσθαι μὲν Λακεδαιμονίοις, κατηγορεῖν δὲ Ἀθηναίων τὴν τυραννίδα καὶ πλεονεξίαν,* victorias auxisse Lacedaemoniorum, clades Atheniensium, qua invidia illum Athenienses propter exilium persecutum esse contra quidem ac *Ma* 26 sed consentiens cum *Mb* 46 adfirmat.

Quotquot igitur exstant vitae Thucydideae non ad diversos sed ad eosdem auctores referendas esse certum est, fortasse etiam propterea quod duarum rerum earumque et certissimarum neque sane levium par in omnibus silentium; neque enim peste ipsum quoque Thucydidem laborasse, neque Oenobio eum, quod testatur Pausanias 1, 23, 11, reditum in patriam debuisse in ulla earum conmemoratur. Quamquam quae fuit de multis in vita Thucydidis rebus opinionum varietas et de opere iudiciorum discrepantia non potuerunt non bis terve epitomatores alius aliam opinionem sequi.

Conparatis cum his quae apud alios scriptores non multa passim de Thucydidis vita exstant testimonia, nihil invenies quod Marcellinus vel Antyllus vel Didymus praetermiserit, sed eosdem his quos illis fontes patuisse.

Generis nobilitatem adgnoscit Cicero in Bruto c. 11, 43 *Thucydidis qui et Atheniensis erat et summo loco natus,* praedicat Aphthonius in progymn. apud Walzium I p. 88 *προγόνοις μὲν βασιλεῦσιν ἐχρήσατο,* quem commentatur Doxopater apud Walzium II p. 424 *ἀπὸ δὲ προγόνων ὅτι ἀπὸ Μιλτιάδου καὶ Κίμωνος γέγονεν ἀπέγγονος τῶν εὐδοκίμων στρατηγῶν, ἀπὸ δὲ πατέρων ὅτι Ὀλόρου ἦν υἱός* et p. 439; item Plutarchus in vita Cimonis c. 4 *τοῖς περὶ Κίμωνα προσήκων Ὀλόρου τε πατρὸς ἦν εἰς τὸν πρόγονον ἀναφέροντος τὴν ὁμωνυμίαν,* quae magis etiam quam Doxopatri illa conspirant cum hisce Marcellini c. 2 *Ὀλόρου μὲν προῆλθε πατρὸς τὴν ἐπωνυμίαν ἔχοντος ἀπὸ Ὀλόρου τοῦ Θρᾳκῶν βασιλέως — — ἀπόγονος δὲ — — τῶν περὶ Μιλτιάδην καὶ Κίμωνα.*

Aetatem Pamphila apud Gellium 15, 23 ita fertur circumscripsisse: *Hellanicus, Herodotus, Thucydides historiae scriptores in iisdem fere temporibus laude ingenti floruerunt et non nimis longe distantibus fuerunt aetatibus. Nam Hellanicus initio belli Peloponnesiaci fuisse LXV annos natus videtur, Herodotus LIII, Thucydides XL,* quae definitio, cum et numerus sit rotundus et ad initium belli Peloponnesiaci fiat conputatio, non alio fundamento eam niti puto quam Suidae illud *ἤκμαζε κατὰ τὴν πζ´ ὀλυμπιάδα* vel Eusebii in editionis Schoenianae vol. II p. 108 *τότε* (i. e. cum pestis Athenas invaderet sub initium belli Peloponnesiaci *ὃν Θουκυδίδης συνέγραφε* ut paullo ante scriptum apud Eusebium) *καὶ Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς παρ' Ἀθηναίοις ἤκμαζε,* vel denique Aphthonius quae scripsit l. l. *ὡς δὲ . . εἰς ἄνδρας ἀφίκετο ἐζήτει καιρὸν εἰς ἐπίδειξιν, ὧν καλῶς προησκήσατο καὶ ταχὺ παρέσχεν ἡ τύχη τὸν πόλεμον,* quae medium fere locum tenent inter Pamphilam et Marcellinum. Multo etiam minus definite loquitur Cicero in Bruto c. 7, 27 *ante Periclem . . et Thucy-*

didem, qui non nascentibus Athenis sed iam adultis fuerunt et ibidem c. 11, 43 *paulo aetate posterior* (Themistocle).

Antiphontem praeceptorem Caecilius dixerat secundum vitam Antiphontis in vit. X orat. *Καικίλιος ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως καθηγητὴν τεκμαίρεται γεγονέναι ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ' αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν* quod Photius cod. 259 sic reddidit *Καικίλιος Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως καθηγητὴν* (utroque loco scriptum *μαθητήν*, quod correxit Wyttenbachius) *γεγονέναι φησὶ τὸν ῥήτορα*, eiusdem amicum dicere satis habet Aristides *ὑπὲρ τῶν τεττ.* 217 *τῶν Ἀντιφῶντος ἑταίρων ἐστί.* Gorgiae qui imitator conmemoratur apud Marcellinum et Dionysium, discipulus evadit apud Philostratum vit. soph. p. 209 (ed. Kays.) *ἤδη γηράσκων (Γοργίας) . . . τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἀνηρτήσατο, Κριτίαν μὲν καὶ Ἀλκιβιάδην νέω ὄντε, Θουκυδίδην δὲ καὶ Περικλέα ἤδη γηράσκοντε* et in epist. p. 364 *Κριτίας δὲ καὶ Θουκυδίδης οὐκ ἀγνοοῦνται τὸ μεγαλόγνωμον καὶ τὴν ὀφρὺν παρ' αὐτοῦ κεκτημένοι,* unde etiam explicatur quod in scholiis ad Aristidis l. l. p. 121, 18 dicitur *συμφοιτητὴς ἦν Περικλέους ὁ Θουκυδίδης ὡς ἔγνωμεν διὸ καὶ ἐφίλει αὐτόν,* cum Cicero l. l. nihil eos nisi aequales fuisse significet. Divitias patris Doxopater laudat ad Aphthonii l. l. p. 424 *Ὀλόρου ἦν υἱὸς ὃς εἶχεν ἐν Θράκῃ πλοῦτον πολὺν καὶ περιουσίαν μεγάλην.* Herodoti recitationi interfuisse fertur apud Photium cod. 60 *λέγεται δὲ ἀναγιγνωσκομένης αὐτῷ τῆς ἱστορίας κομιδῇ νέον ὄντα παρὰ τῷ πατρὶ Θουκυδίδην ἀκοῦσαι, τὸν δὲ Ἡρόδοτον ἀποφήνασθαι ὡς εἴη ὁ παῖς ὦ Ὄλουρε ὁ σὸς ὀργῶσαν ἔχων τὴν φύσιν πρὸς μαθήματα* non nominata Olympia quae apud Tzetzam quoque deest (Poppo I, 1, p. 421). Imperatorem Thucydidem respicientis sunt verba Ciceronis de orat. 2, 13, 56 *quamquam est in republica versatus* et orat. c. 9, 32 *cum praesertim fuisset honoratus et nobilis,* quo plura de illius vita publica Dionysium conpertum habuisse propter ea quae scribit in ep. ad Amm. p. 770 *καὶ ταῦτα οὐ τῶν ἀπερριμμένων ὄντα ἀλλ' ὧν ἐν πρώτοις ἦγον Ἀθηναῖοι στρατηγιῶν τε καὶ τῶν ἄλλων τιμῶν ἀξιοῦντες* credere noli propterea, quod nihil de Thucydide prodidit nisi quae ab hoc ipso acceperat vel accipere sibi visus erat, nisi ille quoque, quod aliis accidisse vidimus, ad Olori filium rettulit quae ad Melesiae pertinebant. Cum Marcellino facit scholiasta ad Arist. Vesp. 941 *Θουκυδίδης ὃς οὐδὲ πάντη γνώριμος ἐγένετο ἀλλ' οὐδὲ παρὰ τοῖς κωμικοῖς διὰ τὸ ἐπ' ὀλίγον στρατηγίας ἀξιωθέντα μετὰ Κλέωνος* (cf. anon. 4) *ἐπὶ Θράκης φυγῇ καταδικασθῆναι.* Negligentius etiam de exilio Thucydidis Dionysius in iud. de Thuc. p. 918 quae apud illum ait reperisse refert *ὅτι μετὰ τὴν ἐν Ἀμφιπόλει στρατηγίαν ἐξελαθεὶς τῆς πατρίδος πάντα τὸν λοιπὸν τοῦ πολέμου χρόνον ἐν Θράκῃ διέτριψε.* Ibidem eum opus suum conposuisse tradunt Cicero de orat. 2, 13, 56 *et hos ipsos libros tum scripsisse dicitur cum a republica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est in exilium pulsus esset,* Plutarchus de exil. 14 *Θουκυδίδης Ἀθηναῖος συνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Π. κ. Α. ἐν Θράκῃ περὶ τὴν Σκαπτὴν ὕλην.* Etiam Plinius in hist. nat. 7,

111 exulem historiae operam navasse significavit tamen ut Thraciam non conmemoraret: *Thucydiden inperatorem Athenienses in exilium egere, rerum conditorem revocavere, eloquentiam mirati cuius virtutem damnaverant*, qui unus praeterea revocatum ab exilio non ignoravit, sive Oenobii statuam ipse quoque viderat, seu, quod fere praeferendum mihi videtur, Thucydidis verba in l. 5, 26 viginti per annos exilium durasse adfirmantis paullo cogitatius quam ceteri legerat. Interfectum denique in Thracia fert Plutarchus loco quem infra transscribam, in reditu Pausanias l. l. qui praeterea de Oenobii decreto certiores facit, quod omnes praeter unum fortasse Plinium fugisse videtur, ut Polemoni, quo teste Didymum usum esse scimus, num ipsa Oenobii statua causa fuerit cur in libris de arce Athenarum de nostro Thucydide et de Pharsalio item dissereret, dubitare possis, quamquam nihil omnino ibi de illa statua Polemonem dixisse pariter est dissimile veri.

Maioris etiam momenti esset Stephani Byzantii locus s. v. *Παρπάρων· χώρα ἐν Ἀσίᾳ ἔνθα ἱστοροῦσι Θουκυδίδην ἀποθανεῖν ὡς Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικῶν δευτέρῳ· τινὲς δὲ Περίνην* (Meinekius recepit *Περπερήνην*) *τοῦτο καλοῦσι*, siquidem Thucydidis nomen suo loco staret. Seidleri quidem coniecturam utrum cum Goellero, Classenio, aliis amplectamur an revera Thucydidem in Asia mortuum tradidisse Apollodorum nobis persuadeamus, non ita multum differt. Licet enim Perine vel Perne a Scaptesula non multum abfuerit, tamen prorsus singularem fuisse illam Apollodori notitiam et a reliquis Didymi auctoribus alienam adparet. Ego vero non perspicio qui Kruegerus l. l. p. 55 suam ipse de loco Stephani coniecturum, Thucydidis nomen casu aliquo pro Hellanico inrepsisse, Seidlerianae Perinen pro Perne falso nominatam esse, posthabere potuerit. Neque enim Perinae illum, qui nunc scriptus est Thucydides, mortuum esse tradiderat Apollodorus, ut ab Perine ad Pernen facilis esset transitus, quamquam Pernen quoque praeter Perinen adgnoscit Stephanus, sed Parparone illum in Asia perisse dixerat. Et quis facile sibi persuadeat neque Apollodorum de variis iliis aliorum opinionibus, quae exstant apud Marcellinum, quidquam conpertum habuisse, neque Didymum de hac Apollodori. Quamobrem necesse est Thucydides loco cedat apud Stephanum Hellanico, quem Perperenae mortuum esse constat.

Iamiam quaerentibus nobis, unde petierint illam de Thucydide notitiam non Marcellinus, Antyllus, Didymus, sed quorum hi nituntur auctoritate Polemon, Hermippus, Zopyrus, Cratippus, gravissimus certe testis primo et quarto quintoque libro de se ipse loquens Thucydides se obfert. Secundum locum tenet sepulcrum Thucydidis positum illud cum Olori patris, cum Miltiadis, Cimonis, Elpinicae in monumentis Cimoniis prope portam Melitensem, quam certae regioni adsignare nondum contigit. Id sepulcrum non ipsis quidem nobis examinare licet, sed examinavit Plutarchus, qui unus iuxta Elpinicam conditum esse Thucydidem testatur in vita Cim. c. 4 *μνῆμα δ' αὐτοῦ τῶν λειψάνων εἰς τὴν Ἀττικὴν κομισθέντων ἐν τοῖς Κιμωνίοις δείκνυται*

παρὰ τὸν Ἐλπινίκης τῆς Κίμωνος ἀδελφῆς τάφον, examinavit multis ante Plutarchum annis Polemon, quo teste cum Didymo utitur Marcellinus c. 16 seqq. Neque Ritterum, qui l. l. p. 25 nimia et dubitandi et coniectandi libidine abreptus ariolatur de sepulcro, quisquam secutus est, sed Classenius quoque l. l. p. XII non satis recte dixit: *so beruht doch jede zuverlässige Kenntniss von seinen Lebensumständen fast nur auf einigen gelegentlich von ihm selbst uns mitgetheilten Nachrichten. Alles was über diese hinaus seine Biographen oder andere Schriftsteller bei zufälliger Veranlassung über ihn äussern, hat den Charakter unsicherer Vermuthung oder halbverschollener Tradition*, quorum postrema verba, quibus eis, quorum nullam fidem esse ipsum non fugit, aliquam tamen esse concedit, vellem omisisset, at sepulcrum, de quo minime dubitat (p. XIII) quasi alterum testem adgnovisset. Nam hi duo testes, cum neque Oenobii statuam nec Pausaniae descriptionem biographis Thucydidis usui fuisse adpareat, unum vitae Thucydidis cognoscendae quasi fontem, sicut nobis nunc sunt, ita Hermippo, Didymo, Marcellino fuisse, et quae praeterea proferunt non obscurae cuiusdam recordationis reliquias sed mera coniectandi tentamina esse, demonstrari potest.

Ab utroque illi teste acceperant civem fuisse Atheniensem, filium Olori; ab uno Thucydide aurifodinas eum in ora Thraciae possedisse 4, 105 et magnae circa eas regiones auctoritatis fuisse; octavo belli anno imperatorem Atheniensium apud Thraciam fuisse 4, 104 seqq., sed post amissam Amphipolim [viginti per annos — ad haec enim illi praeter Dionysium l. l. non videntur animum adtendisse] exulasse 5, 26, per quod exilium apud Peloponnesios quoque versari ei licuit; per totum bellum in vita fuisse et aetate vigentem, et eius historiam scribere statim ab initio coepisse 1, 1. Ex altero teste, monumenta dico Cimonia sepulcralia, pago Halimusium fuisse cognitum est; ibidem Timotheum filium a Polemone repertum esse docet Marcellinus c. 17, uti recte visum est Prellero l. l., et filiam ut ego suspicor, cui a quibusdam octavum librum Thucydidis tributum esse Marcellinus c. 43 testatur, qui ita de illa loquitur *ἀλλ' οἱ μὲν φασιν εἶναι τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ*, ut non huius coniecturae gratia fictam esse concedere oporteat. Potuit etiam matris nomen Hegesipylae ex inscriptione sepulcrali profectum esse, nisi facilior esset suspicio, e Cimonis eam matre repetitam esse.

Verum non pauca sunt quae praeterea ab illis vitae scriptoribus propagata sunt: propinquum fuisse non Miltiadis tantum sed etiam Pisistratidarum, natum quadraginta ante bellum Peloponnesiacum annis, puerum audivise Herodotum recitantem, praeceptores habuisse Anaxagoram, Antiphontem, Gorgiam, uxorem duxisse Thraciam ample dotatam, proditionis crimine accusatum auctore Cleone, exulem in Thracia vixisse, ibique sub platano sedentem historiam scripsisse, necatum denique e vita decessisse.

His universis fidem abrogandam esse ut demonstretur, quaerendum primum, quid eorum ita conparatum sit, ut eius potissimum memoria ad posteros pervenire potuerit. Quod ad cognationem Miltiadis et ad mortem scriptoris maxime pertinere unusquisque videt. Ecquis enim, cuius ne de morte quidem quidquam conpertum habuerint, de eius infantia reliquaque vita qualia modo enarravimus memoria servata esse sibi persuadebit?

Cognationem igitur Miltiadis post Polemonem, ut videtur, Didymus, cum Didymo Marcellinus tribus argumentis probare studuit: primo quod Thucydidis Olorique sepulcra in monumentis Cimoniis exstabant, secundo quod Miltiadis socero idem quod patri Thucydidis nomen fuit Oloro, tertio quod in Thracia, ubi Miltiadis ille socer regnum obtinuerat, Thucydides quoque magnarum fuit possessionum magnaeque auctoritatis. Apud Marcellinum quidem inverso nunc ordine haec argumenta proferuntur; sed etsi non optimo, neque tamen nullo procedunt, ut transponendi cum M. Schmidtio in Didymi fragmentis p. 323 et 325 seq. sit nulla prorsus necessitas. Neque enim ille deesse quo referatur *γάρ* particula in initio c. 17 posita, neque c. 14 de Oloro patre potius quam Thucydide filio intellegendum esse recte contendit, Doxopater licet l. l. p. 424 de Olori divitiis loquatur. Hic enim ut patrem quoque Thucydidis praedicaret, divitias a patre statuit Thucydidem accepisse, et potuit ita statuere, siquidem patrem Thucydidis Miltiadis filium putavit ex Hegesipyla natum. Marcellino autem, qui non Olori sed Thucydidis genus ad Miltiadem referre studet c. 14, non de patre sed de filio loquendum erat; neque Olori, de quibus coniectura tantum constabat, sed ipsius Thucydidis divitiis argumento uti potuit, sicut Plutarchus in vita Cim. 4, quem locum supra iam cum Marcellino conparavimus. — Interpositis deinde quorundam opinionibus, quorum alii ex filio nepotem (*υἱδοῦς* enim rectius suppleveris quam quod Casaubonus voluit *ἀδελφιδοῦς*) alii ex filia putarent, ad ipsam quaestionem absolvendam revertitur et revera Oloro non Orolo patri Thucydidis nomen fuisse docet, ne alterum argumentum ab hoc nomine pendens, quod sub initium statim c. 2 prolatum erat, corruat. Ipsa autem verba Grauerti fere vestigiis insistens inserto tantum *οὐκ* ante *Ὄρολος* et postea bis *λ* et *ρ* litteris transpositis ita facillime restituenda videntur, *μὴ ἀγνοῶμεν δὲ τοῦτο ὅτι οὐκ Ὄρολος ὁ πατὴρ αὐτῷ ἐστι .... ὅτι γὰρ Ὄλορός ἐστι* cet. Schmidtius enim quod coniecit *ὅτι Ὄρολος ὁ πατὴρ αὐτῷ ἔψευσται* vel *ἐσχεδίασται* cum per se parum probabile tum propter ea quae sequuntur *αὕτη γὰρ ἡμάρτηται* intolerabile; aliud enim est *ψεῦδος* vel *σχεδίασμα* aliud *ἁμάρτημα*. Nominis deinde forma stabilitur inscriptione columellae sepulcrali incisa. Exstare enim ait in monumentis Cimoniis Olori, a Sauppio olim restituti, cui ex *ἡρ* litterulis artificiosius confectum *ἡρίον* addere placuit Schmidtio, et Thucydidis sepulcrum, quo revera Miltiadis cognatus arguatur. Ita pro Marcellini quidem inge-

nio satis bene procedit argumentatio, quam totam duobus illis testimoniis niti adparet, et opere Thucydidis et sepulcro.

Aliquanto difficilior est altera quaestio de morte Thucydidis non tantum propter repugnantes veterum opiniones quantum propter Marcellini verba non uno loco corrupta inde a. c. 30. Quidam igitur, quorum primum locum obtinuit sententia, ibi mortem obisse dixerunt, ubi exul versatus esset; alii mortuum quidem extra fines Atticae at sepultum in patria; Didymus denique et mortuum domi et sepultum statuit, quarum opinionum prima exstat apud *Ma* 30 et *Mc* 55, altera apud *Ma* 32 et *Mc* 55 et anonymum c. 8 et Plutarchum in Cim. 4, tertia denique apud *Ma* 32 et anon. c. 8.

Atque primum vel ipso hoc dissensu elucet certa illos memoria destitutos fuisse, neque unde opiniones ortae sint, in obscuro est. Cenotaphium enim illud Thucydidis in monumentis Cimoniis non verum eius sepulcrum esse, documento habuerunt quod in ipsa columella sepulcrali sive pictum fuit sive sculptum seu denique suprapositum *ἴκριον*, incertae illud interpretationis, *οἱ μὲν οὖν ἐκεῖ λέγουσιν αὐτὸν ἀποθανεῖν ἔνθα καὶ διέτριβε φυγὰς ὤν, καὶ φέρουσι μαρτύριον τοῦ μὴ κεῖσθαι τὸ σῶμα ἐπὶ τῆς Ἀττικῆς· ἴκριον γὰρ ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι, τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων καὶ μὴ ἐν Ἀττικῇ ταφέντων.* Quorum verborum recordatus est Friedlaender cum in opusculo de anaglyphis sepulcralibus graecis p. 26 nonnulla eius generis anaglypha conligeret quae navigii prorae adsidentem lugentis habitu iuvenem aut virum exhibent, quaeque naufragorum cenotaphiis ille inposita fuisse existimavit, nihil tamen de ipso illo sepulcri Thucydidei insigni dicens. Id recte monuit A. Michaelis in diario archaeologorum Berolinensi a 1872 p. 145 adn. 40, ubi quod nautarum in ipsa navigatione defunctorum proprium fuisset insigne, ad exules quoque transire potuisse bene conicit, sed quid potissimum *ἴκριον* fuerit cum incertum esse concedat, utrum id ad illorum anaglyphorum analogiam explicandum sit, in medio relinquit. Nihil igitur inde proficimus nisi quod eodem fere modo *ἴκριον* illud antiquis, quo anaglypha quae dixi recentioribus doctis non satis certo calamitatis cuiusdam indicio fuisse videtur.

Verum non omnibus placuit illa interpretandi ratio, qua Thucydidem non Athenis sepultum esse demonstrarent, siquidem alii revera condita esse Thucydidis ossa in sepulcro illo putarunt, clam reportata, moti illi ut videtur inscriptione; nihil enim eos de extremis eius fatis conpertum habuisse vel inde manifestum, quod, sicut illi quoque priores, ne ex ipsius quidem Thucydidis verbis 5, 26 *καὶ ξυνέβη μοι φεύγειν τὴν ἐμαυτοῦ ἔτη εἴκοσι* non ad mortem usque exilium durasse didicerant.

Eadem Didymi ignorantia, qui redisse quidem in patriam Thucydidem contendit, sed vide sis quibus id argumentis probare studeat. Secundam quam dixi

opinionem duplici, primam simplici argumento redarguit. Clam reportatum enim corpus et sepultum esse recte negat propter inscriptum Thucydidis nomen, quo argumento potuit etiam contra primam opinionem uti, quoniam qui exul mortuus erat, ei ne cenotaphium quidem exstrui licuisse putandum est.

Ad utramque opinionem refellendam alterum profert: Philochoro enim et Demetrio testibus usus post cladem in Sicilia acceptam ait reditum exulibus concessum fuisse praeter Pisistratidas, quod nihil ad Thucydidem pertinere certissimum est. Decretum autem hoc de exulibus revocandis utrum omissum a Thucydide putemus cum Mewesio (Untersuchungen über das achte Buch der Thukydideischen Geschichte in annalibus gymnasii Brandenburgensis a. 1868 p. 30), cui hoc quoque documento est, non ab ipso Thucydide perfectum esse librum octavum, an errore procreatum non Philochori potius et Demetrii quam Didymi vel Marcellini, id non nunc est diiudicandum.

Ubi igitur mortuus sit Thucydides, ubi sepultus, ex una sepulcri forma et inscriptione veteres illi docti investigare conati sunt, ut nihil vel memoria, vel litteris traditum accepisse videantur. Quonam igitur modo cuius nondum originem perspeximus, de interfecto Thucydide famam ad illos pervenisse putas? Neque huic quoque non alteram habes obloquentem, non interfectum sed morbo perisse Thucydidem apud anon. c. 8 *πληρώσας δὲ τὴν ὀγδόην ἱστορίαν ἀπέθανε νόσῳ* quae propter ea quae proxime sequntur communem originem habere cum hisce *Ma* 44 *ἔνθεν καὶ λέγομεν ὡς ἀσθενέστερον πέφρασται καὶ ὀλίγον καθότι ἀρρωστῶν αὐτὴν φαίνεται συντεθεικώς* supra indicavimus. Quibus iam perperam famam dixisse convincimur, quae mera coniectura, et ipsius quidem Marcellini ut videtur, ex libri octavi diverso quodam a prioribus libris colore nata. Putasne igitur vel ineptissimum rhetorem coniectura fuisse usurum contra certum de caede testimonium ab ipso paulo ante prolatum? Quid quod et illo loco non ubi tantum, sed etiam quomodo Thucydides mortuus esset in controversia fuisse elucet. Etenim qui sepulcrum Thucydidis non pro vero sed pro ficto habuisse dicuntur, non de caede eos sed de necessaria morte cogitasse cum ipsorum argumentatione tum propterea manifestum, quod illis Didymus non Athenis tantum sed etiam interfectum esse opponit c. 32 *Δίδυμος δ' ἐν Ἀθήναις ἀπὸ τῆς φυγῆς ἐλθόντα βιαίῳ θανάτῳ φησὶν ἀποθανεῖν· τοῦτο δέ φησι Ζώπυρον μαρτυρεῖν· τοὺς γὰρ Ἀθηναίους κάθοδον δεδωκέναι τοῖς φυγάσι πλὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν μετὰ τὴν ἧτταν τὴν ἐν Σικελίᾳ· ἥκοντα οὖν αὐτὸν ἀποθανεῖν βίᾳ, καὶ τεθῆναι ἐν τοῖς Κιμωνίοις μνήμασι, καὶ καταγινώσκειν εὐήθειαν ἔφη τῶν νομιζόντων αὐτὸν ἐκτὸς μὲν τετελευτηκέναι, ἐπὶ γῆς δὲ τῆς Ἀττικῆς τεθάφθαι· ἢ γὰρ οὐκ ἂν ἐτέθη ἐν τοῖς πατρῴοις μνήμασιν ἢ κλέβδην τεθεὶς οὐκ ἂν ἔτυχεν οὔτε στήλης οὔτε ἐπιγράμματος, ἣ τῷ τάφῳ προσκειμένη τοῦ συγγραφέως μηνύει τοὔνομα· ἀλλὰ δῆλον ὅτι κάθοδος ἐδόθη τοῖς φεύγουσιν, ὡς καὶ Φιλόχορος λέγει καὶ Δημήτριος ἐν τοῖς ἄρχουσιν·*

ἐγὼ δὲ Ζώπυρον ληρεῖν νομίζω λέγοντα τοῦτον ἐν Θράκῃ τετελευτηκέναι, κἂν ἀληθεύειν νομίζῃ Κράτιππος αὐτόν. τὸ δ'ἐν Ἰταλίᾳ Τίμαιον αὐτὸν καὶ ἄλλους λέγειν κεῖσθαι μὴ καὶ σφόδρα καταγέλαστον ᾖ. Nequit autem dubitari, quin qui nonnullorum stupiditatem εὐήθειαν dicitur reprehendisse idem nugas Zopyro, Timaeo ridiculum obiciat, ut usque ad c. 34 non Marcellini omnia sed Didymi habenda sint cum Schmidtio in Didymi fragmentis p. 323. Neque enim de se loquens Marcellinus singulari potius quam plurali numero uti solet c. 15 ἡμῖν et ἀγνοῶμεν, hoc item 28, c. 20 43 44 45 λέγομεν, c. 25 πειθώμεθα, c. 37 εἴπομεν, c. 41 et 51 ἡμῖν, c. 52 πειρασόμεθα, cum singularis praeter nostrum locum bis tantum inveniatur c. 2 λέγω et c. 57 οἶμαι, et priore quidem loco supra iam per conparationem Plutarchi non Marcellini verba esse suspicati sumus, quod iam neque ab altero videatur alienum. Illo igitur loco referre aliorum opiniones satis habuit Marcellinus, quaenam ipsi probaretur in dubio relinquens.

Nunc vero quaenam Didymi auctoritas interfectum Thucydidem adfirmantis? Zopyrum quendam testem adhibuisse putatur; ubi si τοῦτο, quae verbis maxime conveniens interpretatio, ad universam Didymi sententiam refertur, manifestam tenes repugnantiam, cum Zopyrus Athenis eundem et in Thracia mortuum idem testatus esse dicatur. Poppo igitur l. l. p. 31 pro ἐν Θράκῃ corrigendum censuit ἐν Ἀττικῇ a litterarum similitudine minus commendatum quam quod Muellerus in fragmentis historicorum graecorum vol. II p. 77 proposuit ἐν Θορικῷ scribendum, vel quam Schmidtius denique l. l. p. 329 ἐν Θριᾶσι coniecturam tacere noluit, quamquam ipse alteram item suam praefert morbi nomine ἄνθρακι pro regionis substituto, sed ut praeterea e Zopyro faceret Satyrum et totum enunciatum transponeret. Sed dum ita sola litterarum vestigia premunt, nihil curasse videntur num potuerit omnino in re tam incerta tam certe quisquam loqui. Mihi igitur prorsus aliter visum est, et quam bene infra se habeat quod scriptum est, tam suspectum esse priore loco Zopyri testimonium. Infra enim ridetur quidem utraque opinio et Zopyri Cratippique et Timaei, sed haec magis quam illa. Cuius rei rationem non desideres, si qui censorem hic agit revocatum ab exilio Thucydidem putavit. Huic enim non potuit non, quanto longinquius quis illum a patria mortuum existimaret, eo magis a vero aberrasse videri. Contra qui quod Popponis interpretatione, ἐγὼ δέ ad Marcellinum referentis et ἐν Ἀττικῇ scribentis, efficitur, in Thracia i. e. in exilio mortuum ipse existimaret, ei non Timaeus, qui in Italia, sed Zopyrus, qui in patria morientem fecisset, magis erat ridendus.

Quodsi infra et Zopyri nomen et Thraciae admiseris, non poteris supra c. 32 contrarium Zopyri testimonium tolerare. Quid quod ne usui quidem esse videtur. Ab exilio enim redisse Thucydidem non Zopyri sed Philochori potius Demetriique testimonio, et mortuum Athenis iterum non Zopyro sed sepulcri inscriptione probatur.

Unum superest ut **interfecti** tantum Thucydidis testem intellegas Zopyrum cum Rittero p. 12, qui ita utriusque loci discrepantiam sustulisse sibi visus est, quemque sequitur Classenius p. XXVIII, non item Schmidtius l. l. p. 324. Rectius hic, quoniam Didymus primum, ut concedamus paullisper traditum a Zopyro interfectum in Thracia Thucydidem fuisse, non satis apte ita hoc teste uti potuit, ut alterum, sc. interfectum esse ab illo, acciperet, alterum, in Thracia, non reiceret tantum sed ita reiceret ut hominis fidem elevaret. Neque deinde Zopyrum illud rettulisse facile tibi persuadeas, siquidem eos qui c. 30 *ἐκεῖ ἔνθα καὶ διέτριβε φυγὰς ὤν* i. e. in Thracia obisse tradiderunt, non de caede sed necessaria de morte cogitasse vidimus. Quos enim illic c. 30 significari putas nisi qui soli eius rei testes nominantur Zopyrus et Cratippus, sive pro hoc Hermippum cum Rittero l. l. p. 12 restituendum censeas, ut iam oriatur suspicio verba *τοῦτο δέ φησι Ζώπυρον ἱστορεῖν* vel e margine vel e praecedenti versiculo in sequentem male inrepsisse.

Verum si essent haec omnia nullius momenti et revera Zopyrus interfectum Thucydidem adfirmavisset, quae tandem illius esset auctoritas? Num posset ea tantum apud nos valere, ut quam quaestionem ceteri coniecturis expedire studuerunt, unum de ea Zopyrum adfirmantem tanquam idoneum testem audiremus, et cuius in testimonio veteres adquiescere noluerunt, in eo nobis adquiescendum esse statueremus?

Sin autem, ut supra demonstravimus, interfectum Thucydidem unus Didymus docuit, unde hoc sumpserit coniectura potest explicari satis probabili. Didymus enim cum reliquorum opiniones refelleret, non potuit non illius *ἰκρίου* quoque rationem habere; cuius enim interpretatione sola ut quidam mortuum in Thracia putarent effectum erat, id ipsi ad aliam calamitatem referendum erat. Neque id non licuisse videtur per ipsam illorum argumentationem *καὶ νόμιμον Ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυστυχίᾳ τετελευτηκότων.* Quodsi de caede eum illud intellexisse suspicamur, hoc cetera eiusdem Didymi argumentatione minime indignum esse arbitror, praesertim cum ad Pisistrati gentem non pertinuisse illud decretum propter id ipsum videatur monuisse, ut causa caedis patefacta coniecturam suam firmaret.

Certe praeter unum Plutarchum Cim. c. 4, qui hisce verbis *καὶ τελευτῆσαι μὲν ἐν τῇ Σκαπτῇ ὕλῃ, τοῦτο δέ ἐστι τῆς Θρᾴκης χωρίον, λέγεται,* in quibus Scaptesulam quoque quamvis facili coniectura de suo videtur addidisse, male subiungit *φονευθεὶς ἐκεῖ,* praeter hunc nemo interfectum in Thracia tradidit, sed aut **ab exilio revocatum Athenis**, ut Didymus, vel in itinere, ut Pausanias, **interfectum**, aut exulem **in Thracia necessaria** morte perisse *Ma.* 30 *ἀποθανεῖν* 33 *ἐν Θρᾴκῃ τετελευτηκέναι* 45 *ἀπέθανε δὲ . . . ἐν τῇ Θρᾴκῃ* *Mc.* 55 *ἐτελεύτησε δὲ ἐν τῇ Θρᾴκῃ.* Sicut autem Plutarchus caedem propter neglegentiam in Thraciam transfert, ita anonymus c. 8 morbo facit morientem Athenis.

Haec si recte a me disputata sunt, et si quae de genere Thucydidis et morte

veteres protulerunt, omnia eos aut eiusdem historiae aut sepulcro debuisse adparet, nemo facile reliquarum rerum certiorem fidem esse concedat, praesertim cum ne lateat quidem plurimarum coniecturarum origo a Kruegero maxime patefacta. Antiphontem quidem praeceptorem Thucydidis Caecilius l. l. non aliunde petivit nisi ex ipsius scriptoris verbis 8, 68; similiter Gorgiae quem imitatorem dixerat Antyllus, eum non dubitaverunt alii fingere discipulum. Longae de Harmodio et Aristogitone digressionis causam circumspicientes nimis curiosi illi grammatici propter propinquitatem Pisistratidarum eum tyrannicidis obtrectasse suspicati sunt. Pariter in Cleonem si propterea dicunt *Mc* 46 invehi Thucydidem, quod per illum patria privatus sit, vix potest dubium esse, quin id ipsum quo ad explicandam invidiam tanquam re certa utuntur, coniectura potius sit ex illa invidia originem ducens. Quam neglegenter autem illi ipsius Thucydidis testimonio usi sint, eo maxime adparet, quod exulem — si missos facimus errores e variis eiusdem nominis viris male confusis ortos — in Thraciam faciunt recedentem, quamquam id non solum per dominationem Atheniensium num licuerit, dubium est, et ad res perquirendas et testimonia undique conligenda illa regio haudquaquam apta videtur, sed etiam ipse Thucydides 5, 26 in Peloponnesiorum maxime finibus versatum sese profitetur, ut vel propterea cum Breitenbachio (Neue Jahrbücher für Philologie 1873 S. 85) scriptam esse maximam partem operis Thucydidei in Thracia Ciceronis, Plutarchi, Dionysii (Marcellini) testimoniis non adducor ut credam, sed multo minus etiam, quod nihili sunt testimonia illa aestimanda credo.

Videtis igitur Commilitones humanissimi, nullam paene de viro egregio memoriam pervenisse ad posteritatem, nisi quam non vanitate motus sed fidei causa de se ipse mentionem fecit in opere inmortali, quod sicut voluit ille iudicatur ab omnibus *κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα.* Quorum alterum, *κτῆμα ἐς ἀεί* i. e. aeternum opus moliri cum arduum sit, at alterum vos, ne nimium admiremini *ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα,* admonitos esse velim non eos tantum qui aut peracti certaminis praemia expectant aut ad futurum sese accingunt, sed omnes.

Sed scripto praestat dictum. Ergo adeste frequentes ad audiendam viri doctissimi orationem et solemnia universitatis nostrae concelebranda.